



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Sancti Vrsmari Lobiensis abbatis Apostolatus. Cap. XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

pinī principis, Frisonum genti quinque annis in-
fatigabiliter prædicauit, & multos, abrenunciata
sorde idololatriæ, fidei fonte abluebat.

Circa hæc tempora in Gela martyrium per-
pessa est ob castitatem sancta virgo Dympna Hy-
berna à proprio genitore, cum presbytero sancto
Gereberno: & apud Tungros sanctus Euermarus
cum socijs.

Venerunt præterea ex Scotia ad Pipinum S.
Wiro episcopus, sanctus Plechelmus episcopus,
vterque Romæ ordinatus, & S. Otgerus leuita:
quos summa veneratione excoluit, & locum ha-
bitionis eis dedit Petrimontem apud Rure-
mondam. Wironem autem & communibus con-
sultationibus adesse voluit, & confessarium suum
habuit.

Sancti Vrsmari Lobiensis abbas Apostolatus.

C A P. XVIII.

Ab eodem Pipino principe sanctus Ursma-
rus episcopus per interuentum sancti Hi-
dulphi principis Lobiensis, monasterium Lo- Lobiū mo-
biense regendum suscepit, anno sexcentesimo nasterium.
nonagesimo octauo. Qui multos ad fidem con-
uertit in partibus Hannoniæ, Fania & Theoracia, Fania.
item in Flandria, potissimum in finibus Meta-
pum, ut veteres loquebantur. Vnde dictus est A-
postolus Theoraciæ, Flandrensiuum, & Menapen-
siuum. In Fania discipulum habuit S. Dodonem.
In Flandria Aldo donauit ei Aldenburch, de suo
vocabulo dictum: ubi in honorem beati Petri
ecclesiam consecravit, quatenus beatus Aposto-
lus Flandrensis & Menapibus patrocinaretur.
Obiit anno septingentesimo decimo tertio. Cui

O o 3 successit

CHRONICA

successit sanctus Erminus episcopus & abbas. Cuius cooperatores & coabbates numerantur sancti Abel, Vlgisus, & Amoluinus.

Ornauit tunc etiam sua sanctitate, & usque ad mortem exilij ærumna Altummontem Hannoniae monasterium, sanctus Ansbertus, episcopus Rothomagensis, cuius corpus Halidulphus abbas summo honore Fontanellam retulit, anno sexcentesimo nonagesimo quinto. Fontanellam vero sub Wandregisilo inchoatam B. Lambertus successor, qui Lugdunensi postea præfuit Ecclesiæ illustrem vitæ suæ sanctimonia reddidit.

De statu religionis sub Carolo Martello.

C A P. XIX.

Carolus Martellus, ex Alpaide filius Pipini principis, paterni principatus hæres fit, anno septingentesimo decimo quarto: qui mortuus anno septingentesimo quadragesimo primo, filios suos Carolomanum & Pipinum, principatus sui successores reliquit.

Regnarunt tunc in Francia, Dagobertus secundus, Childeberti filius, usque ad annum septingentesimum vigesimum: Clotarius quartus, Theodorici filius, Clodouei & Childeberti frater, ac Dagoberti patruus, usque in annum septingentesimum vigesimum secundum: Chilpericus rex filius Childeberti, & Dagoberti frater usque in annum septingentesimum, vigesimum septimum: Theodoricus secundus filius Dagoberti, usque in annum septingentesimum quadragesimum secundum.

Carolus vero Martellus bellicosissimus princeps, & merito rex regum appellatus, imperare regibus maluit, quam rex esse. Saxones vicit, Alamannos